

Dum hæc gererentur, Suleimanus magnis terrestribus, maritimisque apparatus incumbere; in Pannionam exercitum ducturum, classem centum ac viginti triremium educturum afferebatur. Veneti, licet pacem cum Turcis haberent, attamen ex veteri instituto nihil, quod ad imperium maritimum tuendum necessarium censerent, omittere decrevere. Et quoniam sub obscuris rumoribus Corcyram petituros ferebatur, militum præfectos cum validis copiarum subsidiis eam in insulam decrevere, Aloysis Gritto summam imperii, Donato Maripetro præfecto valetudine correpto, atque in urbanis Corcyrae rebus administrandis occupato, detulerunt. Ut Veneta classis ad sex ac quadraginta triremium numerum augeretur, Senatus decretivit. Imperator secundo Stephanus Theupolus majoribus comitiis renunciatus, ex prætura Patavina ad urbem statim vocatus est. Joannes Justinianus legatus datus. Latum deinde, ut prioribus ex urbe triremibus viginti adjicerentur; trierarchi ad eas regendas totidem lecti, qui statim, si necessitas urgeret, conscenderent.

Henricus Rex eodem tempore consilia, ac vires in Parmense bellum contulerat; in Mirandulæ finibus copias cogi jussérat; Namursum, Rosam in Galliam Cisalpinam miserat; Petro Strozzi, Horatio Farnesio, Cornelio Bentivolio, ut equites mille ac ducentos conficerent, mandaverat, atque ad id trecenta aureorm millia reponi in Italia jussérat. Sed dum Horatius, qui Claudiā, Henrici ex minime legitimis nuptiis filiam, uxorem duxerat, una cum Aurelio Fregosio, Octavii quondam Genuensium Ducis filio, duabus Capuæ Prioris, uti vocant, Petri Strozzi fratribus, triremibus Galliis in Italiam veheretur, quinto idus majas tempestate acti, litoribus ad Lucum Feroniæ, Hetruscae ditionis, disjectis triremibus, impegere. Horatius ab incolis detentus, statim ad Cosmum literas dedit; se ab Rege, Ascanio Corneo auditō, cum mandatis, ut Parmam Ecclesiæ restitui curaret, in Italiam missum; id onus libenter in Julii gratiam suscepisse: proinde enixe libertatem petere, ut, nulla mora injecta, Romam contenderet. Lectis literis, statim Cosmus dimitti jussit; Horatius vero, mutato itinere, Ferraria Parmam profici scitur; qua ex re haud parum Cæsar est commotus, quod gene-

155  
Turcarum  
bellici appa-  
ratus.  
Veneti ma-  
ritimas di-  
tiones in-  
fruunt.

Aloysius  
Grittus  
Corcyrae clæ  
imperio præ-  
fectus.  
Stephanus  
Theupolus  
clæs imper  
Joannes  
Justinia-  
nus clæs  
legatus.

Henricus  
Rex ad bel-  
lum Italicæ  
se instruit.

Horatius  
Farnesius  
ab Hetrus-  
cae incolis  
captus a  
Cosmo Du-  
ce liberatur.